



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Philippi Servii Amicus Fidelis Usque Ad Mortem

Bouchy, Philippe

Coloniæ Agrippinæ, 1660

§. XI. Quædam clara voce, sed tractim, articulatim, & interruptè moribundo suggerenda, maximè cùm jam mox expiraturus putatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54799](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54799)

ORATIO.

Maria Virgo beatissima, animam
 servitui illumina, & tenebras
 ejus mentales tua prece depelle. Ab
 insurgentibus in famulum tuum, glo-
 riosa Virgo Maria libera eum: & à
 Spiritu iniquo protege illum. Respice
 in servum tuum morientem suavis-
 sima Virgo Maria: & libera eum ne
 pereat. Imple, Clementissima Virgo
 Maria, preces nostras pro famulo
 tuo, ut sentiat, quia tu es ejus suavis-
 sima Mater. Auxilium de caelo, glo-
 riosa Virgo Maria, mitte servo tuo,
 & de excelso tuere illum. Amen.

§. XI.

*Quadam clara voce, sed tractim, articu-
 latim, & interruptè moribundo suggeren-
 da, maximè cum jam mox expira-
 turus putatur.*

IN manus tuas Domine commen-
 do Spiritum meum.

Iesu

Iesu fili David miserere mei.

Deus in adiutorium meum intende.

Domine ad adjuvandum me festina.

Bone Iesu, dic animæ meæ salus tua
ego sum.

Bone Iesu, qui venisti perditum re-
dimere, noli damnare redemptū.

Domine Iesu suscipe Spiritum meū.

*Iis qui assueverunt actus fidei, spei, a-
moris & contritionis per diem exercere,
consultum erit id eis in memoriam revoc-
care verbo uno :*

Credo, spero, diligo, doleo.

Recordare Iesu pie,

Quod sim causa tuæ viæ,

Neme perdas illa die.

Quærens me sedisti lassus;

Redemisti crucem passus,

Tantus labor non sit cassus.

*Quod si moriens animi territi signa ali-
qua ederet, Amicus fidelis aspergat illum
aqua lustrali, arreptaque in manus Christi
crucifixi imagine dicat :*

Ecce Crucem Domini, fugite partes
adversæ, vicit Leo de tribu Iuda
radix David!

Exur-

Exurgat Deus & dissipentur inimici
ejus , & fugiant qui oderunt
eum à facie ejus.

Addat hæc in aurem: Abrenuncio tibi
Satana Vade Satana.

Domine vim patior , responde pro
me, ne relinquant me , Domine
Deus meus, ne discesseris à me.

Bone Jesu in quem credidi, misere-
re mei.

Bone Jesu in quo speravi , miserere
mei.

Bone Jesu quem dilexi , miserere
mei.

O Mater Dei memento mei.

Maria Mater gratiæ,

Mater misericordiæ,

Tu nos ab hoste protege,

Et horâ mortis suscipe.

Eja bona Mater & advocata nostra,
illos tuos misericordes oculos ad
ad nos converte.

O clemens, ô pia , ô dulcis Virgo
Maria.

Quando corpus morietur,

Fac ut animæ donetur,

Para-

Paradisi gloria.

Angele Sancte Dei, sit tibi cura mei.
O Iesu, Iesu, Iesu, esto mihi Iesus &
salva me.

O bone Iesu, suscipe Spiritum meum.
In manus tuas Domine commendo
Spiritum meum, redemisti me
Domine Deus veritatis.

Ex his Oratiunculis, Amicus fide-
lis feligat, quæ sibi magis arride-
bunt, alias ipse, suggerente Spiritu
Sancto, componat, proferatque ad
majorem Dei gloriam, Proximi que
moribundi salutem.

§. XII.

Post expirationem.

Subvenite Sancti Dei, occurrite
Angeli Domini, suscipientes ani-
mam ejus, offerentes eam in conspe-
ctu Altissimi.

Vers. Suscipiat te Christus qui vo-
cavit te, & in sinum Abrahamæ Angeli
deducant te.

Resp.